



*Bartolome Murillo lo Pintó.*

*J. Palom.º Grav.º de su M.*

Ayuntamiento de Madrid

10362

Lectio Epistolae beati Pauli  
Apóstoli ad Romanos.

Rom.  
1.

**P**Aulus, servus Jesu Christi, vocatus Apóstolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri: per quem accepimus gratiam, & Apostolatam ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus, in quibus estis & vos vocati Jesu Christi Domini nostri.

Exod.  
16. b

**Graduale.** Hodie sciētis, quia veniet Dominus, & salvabit nos: & manē videbitis gloriā ejus.

Psal.  
79.

✠. Qui regis Israel, intēde: qui deducis, velut ovem, Joseph: qui sedes super Cherubim, appare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse.

**Non dicitur Allelūia, cum sequenti Versu, nisi hac Vigilia venerit in Dominica.**

Allelūia, allelūia. ✠. Crastina die delebitur iniquitas terrae: & regnabit super nos Salvator mundi. Allelūia.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Matt.  
1. c

**C**um esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset jus-

tus, & nollet eam tradicere, voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium: & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

**Offertorium.** Tollite portas principes vestras, & elevamini portae aeternales: & introibit Rex gloriae.

Psal.  
23.

**Secrēta.**

**D**A nobis, quaesumus omnipotens Deus: ut sicut adoranda Filii tui natalitia praevenimus: sic ejus munera capiamus sempiterna gaudentes. Qui tecum vivit & regnat.

**Communio.** Revelabitur gloria Domini: & videbit omnis caro salutare Dei nostri.

Isaia  
40.

**Postcommunio.**

**D**A nobis, quaesumus Domine, unigeniti Filii tui recensita nativitate respirare, cujus caelesti mysterio paschimur, & potamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

**Sacerdos, quoniam in die Natalis Domini celebrat tres Missas, in prima & secunda Missa non sumat purificationem, sed in tertia Missa tantum: & in prima & secunda abluat digitos in aliquo vase mundo.**